

Fragment of a label on the left edge of the page, containing faint, illegible text.

422.

V. u. H.
263.



7. 4.
Q. D. B. V. *angl. 6*

MELETEMA EPISTOLICO-SACRVM,

AD

VIRVM SVMMME VENERABILEM, AMPLISSI-
MVM ATQVE EXCELLENTISSIMVM,

DN. GEORGIVM HEINRICVM
GOETZIVM,

SACRARVM LITTERARVM DOCTOREM CELE-
BERRIMVM, ECCLESiarVM LVBECENSIVM PRAESVLEM GRA-
VISSIMVM, CONSISTORII ECCLESIASTICI ADSESSOREM BENE ME-
RENTISSIMVM, GYMNASII, QVOD IBIDEM FLORET,
INSPECTOREM SPECTATISSIMVM,

PARENTEM SVVM AD CINERES
VSQVE DEVENERANDVM,

QVO

IPSI DE NOVO ITERVM ANNO, FELICITER INITO, GRATVLA-
TVR, SIMVLQVE HAC OCCASIONE FAVSTA QVAEQVE

APPRECANS,

DE LOCO:

ZACH. IX. COMM. 9.

PAVCA QVAEDAM

DISSERIT

FILIVS,

EX MVLTIS VNICE ET AMORE PLVSQVAM FILIALI DILECTISSI-
MVS OBSERVANTISSIMVSQVE,

M. GODOFREDVS CHRISTIANVS GOETZIVS,
ANNAEBERGA-MISNICVS,
SACRAR. LITT. CVLTOR.



L I P S I A E,

TYPIS IO. HEINRICI KOENIGII. M DCC XXIV.

1777

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG
DIESE

UNIVERSITÄT

WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG

AN DER UNIVERSITÄT ZU WÜRZBURG



V I R
MAXIME REVERENDE, AMPLISSIME,
ATQVE EXCELLENTISSIME,

PARENS OMNI VENERATIONIS
CVLTV SVSPICIENDE!

§. I.



Vnquam, PARENS OPTVME! debitam
meam in TE obseruantiam hisce declarare
animum induissem, si solum TVAM eru-
ditionem, TVAM paternam curam, TVAque
beneficia cumulatissima, quae certe non vul-
garia sunt, nec simul beneficam TVAM in
conatus meos voluntatem habuissem perspe-
ctam. Quare certissimam in spem addu-
cor, fore, vt aequi bonique consulas, quae tam propensissimi
affectus TV, magnitudine, quam gratae pietatis, & testandae

A 2

reue-

reuerentiae causa adductus, consignauit, patriarisque, vt TIBI *Specimen hocce sacrum*, prout calamus horis subseciuis, exercitii, animiq; recreandi, studiorumq; meorum promouendorum, causa, IPSE delineauit, atque concinnaui, mente TIBI deditissima, sub auspiciu noui huius anni, offeram consecremque. Digna sane, quae omnib; vehantur laudib; sacra praepriis sunt meletemata TVA, atq; admirandae diuinae prouidentiae documenta. Agnouit illa *Burga, Chemnitium, Dresdae*, quae loca splendidissimo Praeconiis sacri muneri diuersos per annos TE habuere consecratum, dum TV fato diuino aduectus eisdem praeficereris. Agnouit illa Hermundurorum *Annaeberga*, vrbs antiquitate inprimis memorabilis, patria mea dulcissima, cuius *Patres Conscripti*, annuente Rege nostro clementissimo, TE suffragiis Ecclesiae Annaemontanae, vicinarumque Praesulem elegerunt. Agnoscit illa LVBECA, Libera Imperialis Ciuitas, quae TE multis ornauit muneribus eruditissimorum in Republica sacra, ciuili & litteraria virorum, insignibus splendidissimisque. Agnoscit orbis eruditus, quae multis iam praeconiis passim TVAM eruditionem condecorauit. Agnosco igitur & ego, Pietatis, Doctrinae, Amoris erga sacra, per Spiritum Sanctum, per Lutherum, per alios viros celebratissimos, emendata, aliarumque rerum, quae veram possunt laudem conciliare, ac bonorum studia allicere, praeco indefessus. Hasce igitur ob causas non potui non aliquo saltem modo declarare animum vitae TUAE rationes, vt ab ineunte aetate fuerunt institutae, admirantem & ad laudabilem imitationem nullo non tempore easdem sibi proponentem. Ego equidem non ignoro, nisi summa, quae in TE est, modestia, parce de TEMET ipso verba fieri voluisset, multo plura dici potuisse, quae factorum TVORVM miranda explicarent. rogo interea atque obsecro humanissime, velis huius scriptionis genus leue & hiulcum, e sacris hac vice
fon-

fontibus petitur, observationibusque miscellaneis illustratum, perlustrare, atque diiudicatione dignum aestimare.

§. 2. Dum itaque in suavisimos sacrarum litterarum campos diuertere animo mihi sedet, insigni cum incunditate perinde ac utilitate sese delibanda mihi sistunt aurea illa omnique consideratione dignissima diuini Vatis *Zachariae* verba Cap. IX. comm. 9 ita consignata :

גִּילִי מְאֹד בְּתִצִּיּוֹן הָרִיעִי בְּתִירוּשָׁלַם הִנֵּה מֶלֶךְ יָבוֹא לָךְ צָדִיק וְנוֹשֵׁעַ הוּא עָנִי וְרֹכֵב עַל־חֲמֹר וְעַל־עֵיר בְּיַחֲתָנוֹת :
 Exulta valde Filia Zion, Iubila Filia Ierusalem : Ecce Rex tuus veniet tibi, iustus & saluatus ipse humilis, & equitans super asinum, & super pullum filium asinarum.

Du Tochter Zion freue dich sehr, und du Tochter Jerusalem jauchze, siehe! dein König kommt zu dir, ein Gerechter und ein Helfer, arm, und reitet auf einen Esel, und auf einen Füllen der lastbaren Eselin.

§. 3. De *Zacharia Propheta eiusque vaticinio* in genere non multa verba faciam, siquidem illud in *Exercit. Histor. Philolog. à M. Ierem. Friderici*, Lips. 1717. iam fuit ostensum.

§. 4. Ad hoc comma nostrum conducit euoluere praeter breuem, sed utilissimam *Lucae Osiandri, & Vinariensium Paraphrasin*, ex nostris quidem *Lutherum T. IV. VVittenb. Tarnouium, Himmelium, VVinckelmannum, Balduinum* in Comment. ad Zach. *D. Meisum* in Comment. h. l. Lips. 1706. 8. ed. *Calouium* in Anti-Grotio, *VValtherum* in Harmoniis, *D. G. H. Goetzium*, in aufferlesenen *Festtags Sprüchen von Christi Armuth und Reichthum*, Chemn. 1710. ed. 8. p. 2. seq. *Schultzius* in h. l. *Meinhardum* de Messia in *Saluato Salvatore*, ad Zach. 9, 9. *D. I. B. Carpzouium*, de asino Messiae in *Hierosolymam urbem vectore*, Philologem. Sacr. Lips. 1671. ed. (in Vol. Disp. ord. VII. pag. 274.) it. in *Harm. Euang. Bibl. P. I. p. 8. seq. & Bibl. Parv. Philol. Exeg. P. I. p. 1270. M. Chr. Frid. Krausum*, Thesaur.

Conc. Euangel. P. I. p. 30. seq. & qui omnium instar esse possit *Gerhardus*, in Harm. Bibl. c. 44. p. 207. ad p. 244. itemque in Annot. posthumis ad Matthaeum p. 908. *G. A. Michaelem*, Theologum Suidnicensem, in Homil. ad Apoc. 3, 20. VVittenb. 1722. 4to. ed. p. 3. Ex Calvinianis, *Cocceius* imprimis & *VWilliam*. Ex Pontificiis, *Cornelium a Lapide*, *Maldonatum*, aliosque, de quibus Excell. Dn. L. I. G. *Carpzou*. P. III. Introd. in Libr. Prophet. euolui legique meretur.

§. 5. Ante omnia inquirendum est in *Scopum*; atque adeo genus dicendi, si obseruemus, quid agit in verbis Propheta? Nempe 1) excitat ad gaudium, & qualem se gerere debeat filia Zion, nomine DEI praecipit. 2) Promittit aduentum Christi; ille actus generis Paedeutici, hic Didascalici est, idque indicat genus. Quanquam & hoc ad genus Paedeuticum referri queat, non quatenus in se spectatur, sed ut argumentum praebet persuadendi filiae Zion, ut gaudeat, quia Rex eius venit.

§. 6. Postquam ita de scopo, ut & genere Textus nostri constat, facile ille in sua argumenta resolui potest, ea puto generis Paedeutici & Didascalici, quae in textu habentur. Sumuntur argumenta persuasoria, ut pote 1) à *mandato* Diuino, loquitur enim hic Deus per Prophetas I. Petr. I. Io. II. ex Prophetica autoritate Diuina, si non sub persona DEI, (quod *Cocceio* quidem placet) cum in antecedentibus & consequentibus sub persona ipsius Legis aduentantis verba fecisset, quod *Dorschaeus* P. 2. Theol. Zachar. p. 12. demonstrauit. (2.) *Ab aequitate naturali*, quia est Rex tuus; fideles subditi in Aduentu benefici Regis gaudere debent. (3.) *Ab honesto*, quia est filia Zion, quam decet gaudere in Domino. Ioël. 2. 22. (4.) *Ab utili*, venit tibi iustus, tibi Saluator. (5.) *à facili*, venit non difficilis, vel molestus, sed pauper & mansuetus. (6.) *à iucundo*, quod vel solo exultandi & gaudendi vox innuit. Ita in promissione, si illam per didascalica argumenta deducere velis. Habemus

mus

mus itaque (1.) personam, Rex tuus Messias. (2.) Rem seu actum personae, venit ad te. (3.) Finem, iustus & saluatorus. (4.) modum, pauper. (5.) media, insidens asino.

§. 7. Ceterum vt rectius eruantur & exponantur argumenta, Analyfi, Logica, & Grammatica, opus est, quae effertur Analytica ordinatione & Grammatica phrasium explicatione, denique difficultatum, si quae occurrunt, textualium solutione.

§. 8. Analysis & ordinatio logica primum illa duo capita summa attendet. (1.) mandatum. (2.) promissum. Circa mandatum resoluenda sunt verba in considerationem (α) mandantis Dei per Prophetam (β) eius, cui mandatur, filia Zion, & filia Ierusalem. (γ) rei, quae mandatur, non eiulatio aut lamentatio, sed tripudium & iubilatio, eaque ingens. Quomodo haec intelligenda sint singula, Analysis Grammatica docebit. Quod omnino inde argumenta exstruere pro confirmando themate oporteat, iam §. 6. ostensum.

§. 9. Circa promissum easdem circumstantias attendimus & quid promittatur, obseruamus respicientes *tum personam* aduenientem, quae describitur (1.) ab officio, est Rex, & tum quidem (2.) à qualitatibus & operibus, iustus & Saluator, seu Saluator pauper; Tum eius *aduentum*, eiusque speciem (veniat) & modum (vectus asino).

§. 10. Utrobique autem tam in mandato, quam promisso, occasio, antecedentia & consequentia, circumstantiae temporis & loci sunt attendendae, quarum obseruatio ad veri sensus apprehensionem multum faciet, & maiori illustrationi quoque non parum conducet, vt in progressu patebit.

§. 11. Grammatica vocum expositio circa mandatum attendit tum *subiectum*, tum *praedicatum*. Circa *subiectum* exponendum est, quid sit Zion, quid Ierusalem? Zion sumitur vel *proprie*, vel *metaphorice* seu *Typicè*. *Proprie* rursus vel pressissime pro monte Hierosolymae proximo versus meridiem, in
cuius

cuius vertice arx erat à Davide capta, ciuitas Davidis postea dicta. 2. Sam. 5. 7. Haec Regum aula fuit, in hac quoque, Regum Iudae sepulturae; in latere aquilonari seu altero iugo Moria templum, 2. Chron. 3. 1. vel laxius pro tractu montium Hierosolymitanorum. Deut. 4. 48. *Improprie* accipitur modo metonymicè pro templo in monte exstructo. Ps. 137. 3. Canticum Zion, i. e. Templi, vt Amos. 8. 3. redditur Ierm. 51. 10. Esai: 18. 7. ac modo *typicè* pro Ecclesia Christi per templum Hierosolymitanum expressa atque praefigurata. Sicut enim Messias non raro appellatur à David. Ierm. 30. 9. Ezech. 34. 23. 24. c. 37. 24. seq. Hof. 3. 5. c. 13. 34. c. 15. 16, ita regni quoque ipsius sedes veteri appellatur vocabulo Zion; (1) *Ratione excellentiae & inexpugnabilitatis.* Ps. 125. 1. (2.) *ratione sanctitatis.* Ps. 2. 6. Ps. 43. 3. Ps. 99. 9 Ezech. 20. 40. (3.) *ratione pulchritudinis & iucunditatis.* Ps. 45. 3. (4.) *ratione Diuinæ praesentiae.* Ps. 68. 16. seq. Ps. 74. 2. Ps. 76. 3. Ps. 78. 68. (5.) *ratione arcae & propitiatorii,* quod Davidis aeuo in hoc monte asseruabatur, 1. Chron. 16. 11. 2. Chron. 8. 11. Quod item ex hoc monte egressurum erat Euangelium. Es. 2. 3. Mich. 4. 2. Ps. 110. 2. Ps. 132. 13 aequè pro militante tantum Ecclesia accipitur, sed ipsam triumphantem tamen etiam complectitur, Ebr. 12. 22.

§. 12. Filia Zion *proprie* notat puellas Hierosolymitanas. Es. 3. 56. 17. *metaphorice* ipsam urbem Hierosolymam quod ea monti Sinai subiaceret, nec secus ac filia matri. Ps. 9. 15. (ubi Es. 1. 8. & hunc locum in eum sensum exponit, quod in notis ad Matth. 21. 5. Gerbard. facit) *per* metonomymiam simul incolas Hierosolymitanas, 2. Reg. 19. 21. *mystice* Ecclesia & quaelibet fidelis anima, quae Ecclesiam (Zionem) matrem agnoscit, hoc nomine venit. Cant. 3. 11. Ioel. 2. 23.

§. 13. Ierusalem illustrissima Palaestinae vrbs, quam Ierusalim à Davide ereptam peculiariter sibi Deus elegit, in qua coleretur. Ps. 122. 3. seq. à perpetuis visionibus & gratiosis visitationibus Diuinis, quibus clarebat, nomen ipsi
indi-

inditu r. Cum enim ante Salem diceretur, seu à Melchisedæco Rege Salem Gen. 14. 18. Ebr. 7. 2. aedificata primum (quod anno mundi 2023. factum *Adrichonius* asseruit fol. 148.) seu ab ipso Semo, quod in בְּרֵאשִׁית Rabba c. 9. traditur. Postea Ierusalem (ex יְרֵמֶה שְׁלֵמָה composita voce, vid. Pasoris Lex. & Dionys. in miscell.) dici coepit. Aliorum varias originationes vid. ap. *Dorsch.* P. 1. Theol. Zach. p. 17. seq. credita in medio orbis habitabilis sita esse ex malo intellecto loco. Ps. 74. 12. Quod uti Geometrice loquendo falsum esse recte *Dorsch.* l. c. iudicavit p. 33. ita vero alienum non esse queat, B. *Lyseri* c. 54. *Harmon.* p. 38. verba sunt, sic in medio ὡς ἐν πλατεί inter Asiam, Africam & Europam sitam fuisse, ut inde Euangelium Christi commodissime per Apostolos in omnes plagas orbis habitabilis efferri atque propagari potuerit. vid. pluribus *Ursin.* Vol. 1. *Analect.* l. 4. c. 20. p. 223 seq. *Donat.* Anti-Christus p. 239. *Del-Rio* Tom. 1. *Adag. sacr.* p. 508. *Sixtinus* Amama *Antibarb.* p. 768. seq. *Casaub.* *Exerc.* 36. Sect. 83. & alii. Ceterum ut forma ipsa dualis hic est, ap. Prophetam Ieruschalaim, ita duplex est Hierosolyma, iudice Apostolo Gal. 4. 25. seq. ἡ νῦν ἱερουσαλήμ corporalis, quae tum florebat postea per Romanos funditus eversa & ἡ ἀναίερουσαλήμ, caelestis illa mystica, seu Ecclesia, mater omnium nostrorum, Gentilium etiam, ad quos scribens Apostolus, vocat Hierusalem, ipsorum matrem v. 28. Verbo, Ecclesia ipsa venit isto nomine uniuersa. Rationes denominationis deduces ex illis, quae hactenus de terrestri & nunc de coelesti Hierosolyma & Zione diximus.

§. 14. In denominatione Filiae Ierusalem variant sententiae. *Hülsemannus* in Concione quadam huc trahit, "quod usu Scripturae oppida quaeuis ciuitati Principi, seu matri vicina, filiae illius dicantur, ut ex Ier. 8. 28. seq. Ioh. 13. 47. (Ierem. 11. 24. 25.) ac quia circa illam, ut pulli circa gallinam glozitantem filiae montes, vel alia oppida facientes ciuium matrem assideant, Hinc E.

B

peti-

petita Metaphora sensu literali quamlibet fidelem animam filiam Ierusalem dici ob spiritualem cognationem quam cum spirituali Ierusalem habet per fidem. Secundum hunc E. typus fidelium non esset in incolis Hierosolymitanis, sed vicinorum oppidorum. Negari tamen non potest filiorum filiarumque Ierusalem nomine ipsos etiam metropoleos istius ciues indicari. vid. Ios. 3. 6. 2. Reg. 19. 21. Es. 37. 12. non secus ac filia Tyri seu incolae & mercatores Tyri. Ps. 45. 13. Filia Babel, incolae Babelis. Ps. 137. 8. Es. 47. 1. Ierem. 51. 33. Filia Aegypti. Ierem. 46. 11. filia Edom pro Idumeis Thren. 4. 21. Quippe incolae sunt natalis soli velut filii, ac alumni, mater enim videtur locus natiuitatis seu patria, inquit celeb. Geier. Tom. 2. in Ps. p. 117. Illustrare quis hoc posset historia Iunii Bruti, quod oraculum de matre dixerat, de terra interpretati. ap. Val. Max. l. 7. c. 3 exemplum 2. Quod si hanc arripis interpretationem (quae plerisque placet) disquirendum adhuc erit, vtrum immediate & literaliter ciues Hierosolymae spiritualis an terrenae istius & corporalis sint intelligendi? Nobis Gerhardi & aliorum placet sententia, intelligi sensu literali seu vt Dorschaeus effert. in Th. Zachar. P. 1. p. 31. immediate & primario populum Iudaicum & in primis Hierosolymitanum, ad quem ingressus hic, de quo loquitur Propheta, fiebat. Mystice vero ac spiritualiter (Dorschaeo mediate & sequenter) Ecclesiam uniuersam & quamlibet in ea fidelem animam, ad quam beneficia ingressu illo quaesita pertinent. Conf. Gerhard. Harm. p. 212.

§. 15. *Praedicatum est exulta valde, iubila*, quibus verbis 1) connotatur praecedens desiderium ingens maiorum. Quo aliquid ardentius desiderauimus, eo effusius gaudemus, postquam nacti sumus: declarari potest exemplo Magorum Iesum quaerentium, Matth. 2. 2. & 10. pastoris ouem, mulieris grossum inuenientis, Luc. 15. 1. seq. At huius Dni aduentum desiderio desiderarunt Patriarchae, Prophetae, Reges, Luc. 10. 23. omnium vna

vna

vna vox, *Pf.* 14. vlt. *Es.* 64. 1. Exempla *Genes.* 4. 1. c. 5. 20. c. 49. 18. *Ioh.* 8. 56 quod iam anxie haecenus desideratum est, iam comparet, E. exulta filia Zion. 2.) Denotatur gaudium, cum exultatione maxima coniunctum, & longe lateque se diffundens: non vult, vt laetitia intra finem & praecordia subsistat, sed vt se exerat tum gestu & exultatione, tum sono, ac voce. Prius notatur verbo יְהַלֵּל quod hic in Hiphil ponitur, abiecto ה characteristico, vt fit interdum, (Vid. Buxtorf. *Thef.* 12. c. 29. p. 225. seq.) ad indicandum, filiae Zion conuenire, vt seipsam ad exultationem eiusmodi excitet, qualis est victorum, cum spolia diuidunt. *Esa.* 9. 3. eius, qui in vino laetatur. *Zach.* 10. 7. Dauidis i. e. grauissimis calamitatibus erepti. *Pf.* 13. vlt. qualem ab Israelitis ob praedicatum Euangelium poscit *Ioel.* 2. 23. qualem *prophetae* fouebant super salute Domini seu Iesu Christi. *Pf.* 9. 15. *Pf.* 21. 2. *Habac.* 3. 15. *Esa.* 41. 16. Qualem Israel super restitutam per Iesum libertatem, *Pf.* 14. 7. **Jetzt sollte der Raub den starcken genommen werden.** *Esa.* 49. 25. *Pf.* 68. 13. nec gauderet filia Zion? iam amici Christi debebant inebriari bonis Domus DEI *Pf.* 36. 9. iam ex grauissimis calamitatibus liberandi erant ex inferno *Hos.* 13. 14. merito ergo similis exultatio exigitur à Propheta. iam veniebat vera arca foederis & propitiatorium. *Rom.* 3. 25. *Ebr.* 4. 16. Debebat ergo quilibet cum Dauide exilire prae gaudio 2. *Sam.* 6. 14. nec vero gestu saltem, sed sono exprimi gaudium etiam debet. Ut ingens malum non tam gestu, quam clamore exprimi solet, mit Heulen, Schreien, ita & ingens gaudium; vt fortis à vino rediens clamat, *Pf.* 78. 66. maximum hic expressurus gaudium propheta sonoram vocem postulat. Ebraice notat proprie clangore, seu fracta voce tarantarizare, vt fit, cum classicum canitur, & ita animantur milites. *Num.* 10. 6. 7. vt milites victores solent. *Ios.* 6, 10. *Ierem.* 14. 19. vt Israelitae cum extrueretur Templum secundum. *Esr.* 3. 11, 23, cum deduceretur arca foederis 2. *Sam.*

1105

B 2

6, 15,

6. 15. vti victor strato hoste. Pf. 41. 12. quale iubilum audiebatur Christo ad coelum adscendente Pf. 47 2. & 6. tale ergo & hic poscitur.

§. 16. In praemisso, tum index, tum res indicata obseruanda, quoad grammaticam explicationem קנין Quia asteriscus est Spiritus Sancti NB. faciens tum ad certitudinem rei indicandam Genes. 12. 19. c. 16. 2. tum ad attentionem rei nouae ac mirandae excitandam vt Esa. 7. 14. Tum ad exhibitionem rei praesentis notandam, vt 29. 6. c. 37. 19. Es. Omnia hic concurrunt, & indicare vult propheta rem 1) certissimam, tot aliorum vaticiniis praedicatam. 2) Plane singularem & mysteriorum plenissimam vt ex sequent. patebit. 3) iam proximam & in spiritu praesentem, vt Iesus patiens. Esa. 63. 1-3. vlt 482. annis post secundum communem calculum euenturam.

§. 17. Res indicata est aduentus Christi: vbi descriptio personae tum aduenientis, tum aduentus ipsius euoluenda. In personae descriptione tum Substantiuum nomen tum adiectiuum nobis expendendum. Utrorumque euolutio docebit, non de alio quam de Messia Sermonem hic esse posse. Quod ex professo inde demonstratum iuit Calou. Anti-Grot. & Balduin. Comm. p. 577. seq. Rex tuus Zionis & filiae Zionis, מלך nomen Mesiae proprium, quod & passim indicatur à prophetis. Pf. 2. 6. Pf. 45. 2. Pf. 98. 7. 2. Sam. 7. 7. 13. Esa. 42. 11. c. 33. 22. Ierem. 23. 5. c. 30. 9. Ezech. 37. 22. 24. Hof. 3. 5. Hoc encomium gerit in veste Apoc. 17. 14. c. 19. 26. Est autem Rex iure Creationis Pf. 5. 3. Pf. 74. 12. Pf. 95. 3. maxime vero ex iure Redemptionis, quatenus constitutus est Rex super montem Sion Pf. 2. 6. factus Dominus, Act. 2. 3. h. e. quatenus nos rebelles, qui Regno DEI sponte excideramus, & sub potestatem Diaboli Regis tenebrarum. Eph. 6. 12. vt serui redacti eramus. Ioh. 8. 34. 2. Petr. 2. 19. vindicauit & captiuos liberauit. Esa. 49. 24. 25. Nosque liberatos fortiter defendit. Dominatur in medio hostium Pf. 110. 1, 2. Imprimis hic urgendum

dum suffixum *tuis*, *tuis*, Filia Zion, vi donationis paternae ei nos in eo dedit Ps. 2. 8. vi promissionis Deutr. 18. 28. vi confanguinitatis. Deut. 17. 15.

§. 18 Inter adiectiua primum est מָשִׁיחַ Messiae κερτήριον. Ierem. 2. 3. 5. cum alii Reges saepe iniusti. 1. Sam. 8. 11. non vero tam hic respicitur iustitia eius essentialis, quam cum Patre & Spiritu Sancto communem habet. Deutr. 32. 4. Ps. 7. 10. nec habitualis & inhaesiva, quia omni labe purus est. Ioh. 8. 46. Hebr. 7. 26. 2. Cor. 5. 21. 1. Petr. 2. 2. Hebr. 9. 14. quam acquisita & imputata (quae essentialem & habituaalem non excludit, sed tantum praesupponit) seu Euangelica iustitia fidei. Rom. 3. 2. iustitia, qua ipse solus iustus est. v. 26. quam tum perfecta obedientia legi, nostri causa praestitit, Gal. 4. 4. tum innocenti passione vicaria nobis acquisiuit, 2. Cor. 5. 19. 21. tum ista sua iustitia seruus iste iustus multos saluaturus erat. Es. 53. 11. vt adeo non sit, cur quis peccatorum suorum memor timeat hunc iustum aduentare. (Filia Zion circa tempora aduentus huius Regis non optime se gerebat. Mal. 2. tot.) non legalis aut vindicatiua hic intelligitur iustitia, in qua liberari Dauid petiit Ps. 31. 2. Ps. 71. 2. Ps. 143. sed qua nos euadimus iustitia 2. Cor. 5. 21. qua Paulus comparere coram Domino vult Phil. 3. 5. & 10. Hoc innuit Propheta cum ait: Rex tibi iustus venit. conf. 1. Cor. 1. 29. seq.

§. 19. Secundo saluatus ipse, a מוֹשִׁיעַ saluauit, & praesentissimo periculo eripuit: Ipsa illa vox vnde Iesus denominatur. Matth. 1, 21. Vnde *Maschiach* saepe in Prophetarum libris appellatur. vid. Esa. 19, 20. cap. 43, 3. & 45, 15. 46, 13. & 52, 11. Adde ex N. T. Luc. 11, 11. 30. Equidem in veteri Testamento saluatores erant, sed particulares saltem & typici. Iud. 3, 9. 15. 2. Reg. 13, 15. Nahem. 9, 27. Hic Catholicus & spiritualis Luc. 1, 71. Imo ipsa salus *Iescha* & *Ieschuah* Gen. cap. 49, 18. & sexcenties in Psalmis & Prophetis E. est ein Helfer, in Hebr.

passive saluatus in Niphal quod hic solatii & gaudii argumen-
tum. Dix: Quis animum faciat agroto de medico, si eum inde
commendet, quod liberatus e graui morbo sit ipse? quid gau-
dii afferret captiuo, si inaudiat de Duce, quem ipsum oportuit
liberari pretio e carcere? fatendum, non modo Iudaeos apud
Galatin 1. 3. c. 23. hunc contra Achillem opposuisse verae de
Messia interpretationi, sed ex papistis etiam quosdam nodum
adeo soluere non potuisse, vt corruptum etiam sacrum textum
clamarent. Quod *Hundleus* controu. descript. c. 10. §. 9. &
alii facere non erubuerunt. conf. *Hacksan. P. 2. not. p. 1050.*
Alii negarunt penitus passiuam hic significationem obtinere,
sed & hi in duplici differentia. *Munsterus, Drusius, Glass.* lib. 3.
Phil. S. tract. 3. Can. 25. p. 601. Hacksan. verbum passiuum
agnoscunt, sed significatio nem actiuam habere sentiunt, imo
postremus hic *P. 2. not. p. 745. vid. Esa. 66, 16.* Canonem for-
mat, Actiuam significationem obtinere in Niphal, quoties verbum
in Kal. non est vsitatum: *Schindlerus* in *Lexico & Corn. a Lap.*
ne pro participio passiuo quidem habent, sed pro ratione Hee-
mantica, ac vrgent quidem illam versionem Chaldaicam &
LXX. quae actiue reddiderint. Sed quibus respondere facile
est, ideo hoc factum, quod crederent hic de Messia sermonem
esse, cui hocce nomen credebant magis conuenire notione a-
ctiua quam passiuam intellectum. Nobis cum *Bald. Gerbard. Calou.*
Coccei. & aliis, formam & significationem passiuam retinere
placet. Vrgemus saltem 1) intentionem Prophetae, hic docere
vult de statu exinanitionis huius Regis, eiusque ingressu ad pas-
sionem mox subeundam, at neminem vestrum paupertas & hu-
militas huius Regis offendat, quia saluatus est, & ex illa pau-
pertime & humilitate, ex illis, quos post ingressum
hunc sustinebit, cruciatibus, imo morte ipsa ad coelestis gloriae
diuitias euehetur, vt aliis etiam Saluator esse possit. Ita enim
Saluator Vester erit, vt prius ipse in abyssum miseriae vestrae se
demit-

demittat, peccata vestra & poenas eorum in se recipiat, & inde saluari necesse habeat, vt saluatus ipse alios saluare queat. Vtique si in morte vel inferno mansisset, ipse nos liberare à morte non potuisset: *Wår er nicht erstanden. x.* Idem 2) ex seq. constat, & quidem comm. 11. h. c. Emissio enim illa necessario coniuncta fuit cum descensu in lacum, vt ostendit *Dorschaenus P. I. Th. Zach. c. 8. §. 142. seq.* Illustremus Simili: Cum Imperator belli ipse captiuus manet, quomodo ex carcere liberare milites suos potest &c. Saluatus, ita Christus à Patre suo; hunc ideo inuocat, *Ps. 69. 2.* hunc pater resuscitauit, *Act. 2. 23.* *Rom. 6. 4.* *Hebr. 13. 20.* non exclusiue, nam & propria virtute se resuscitauit, (saluauit me brachium meum, i. e. Diuina potestate mea &c. *Esa. 63. 5.*) Actione immanente & reciproca, vt effert *Dorschaenus P. I. I. c. p. 188.* Hinc ex propria virtute à mortuis semet ipsum suscitauit. *Ioh. 2. 19.* vid. *Calov. Socin. proflig. p. 649.* dicit, *E. τὸ saluatus* 1) passiones & peccata, nostra ipsi imposita à quibus saluatus. 2) Ereptionem ipsius è morte & seruitute, & transactionem è terra in coelum. 3) In ipso, vt rege, nostram, qui ipsius peculium & fratres sumus, salutem. Neque sine causa additur, *Nischam*, hic ille ipse saluatus est, de quo iam in paradiso praedictum fuerat, hic ille conteret caput serpentis, *Gen. 3. 15.* Ecce Deus vester cum vltione veniet, hic ille ipse veniet saluosque faciet. *Esa. 35. 4.* Vere languores nostros hic ipse tulit *נחמנו* & ipse vulneratus est propter peccata nostra, & ipse afflictus. *Esa. 53. 4. 5. c. 7. 11. 12.* Imo creditum fuit hoc pronomen peculiare quasi encomium Messiae continere vid. *Rober. pecul. concion. quae in Arcu triumphal. est 46. Tom. 2. p. 142.*

§. 20. Tertium: Pauper afflictus, humiliatus, Tyrannide oppressus, miser; Emphasin enucleatam vid. ap. *Dorsch. p. 53. l. c.* Hocce gaudii argumentum, Regem non habere, vbi caput reclinet? *Matth. 8. 20.* ita omnino. Cum enim diues esset, pauper factus est, vt illa ignominia Christi maiores diuitiae ga-

zis

zis Aegypti nobis compararentur Ebr. 11. 26. Expressit vim argumenti *Matthaeus*, quicum LXX hoc עני per παῖδες reddit; qui enim ipsi afflicti probe sunt, mansueti fere esse solent. Non ignara mali, miseris succurrere disco; ita Christus ex hoc, quod ipse tentatus est, potest & iis, qui tentantur succurrere. Hebr. 11. 18. Es. 42. 3. 4.

§. 21. Hactenus descriptio personae aduenientis, sequitur *aduentus* descriptio ubi tum speciem, tum modum seu adiunctum indicat *Propheta*. יבוא forma quanquam futuri, significationem tamen praesentis adventus Christi non unius generis ipse Spirit. Sanctus innuit. (a) Distinguendum autem est inter primum & secundum aduentum. Ebr. 9. 28. vlt. ad primum pertinet aduentus (1) Incarnationis, quando è coelis in terras in carnem nostram venit, qui verbo יבוא seu veniendo exprimitur. Gen. 49. 10. Ps. 40. 6. Hag. 2. 8. (2) Redemptionis, quando in carne Hierosolymas est ingressus morte sua hominum genus redempturus. Esa. 59. 20. c. 63. 1. Matth. 5. 17. c. 20, 28. Marc. 10. 45. 3) Sanctificationis Ioh. 14. 23. secundus est iudicii ac glorificationis Ps. 66. 13. v. 98. 9. 10. Dan. 7. 13. Matth. 16. 27. c. 24. 30. (b) Cum ergo hic quoque dicatur de Christo, quod veniat, illorum

(a) Conf. etiam Dni. L. Frid. Weneri, Diac. ad D. Nicol. Lips. vigil. Diēt. Bibl. Lips. 1718. 8v. ed p. 1. seqq.

(b) De triplici hoc aduentu ex parte egit celeb. Autor Program. Funebr. d. 9. Dec. 1722. Lips. in memor. B. Ann. Sybill. Winckleriae, script. quando p. 2. ita scribit: Tempus illud, in quo nunc vivimus, iam a priscae Ecclesiae Christianae doctoribus fuit appellatum TEMPVS ADVENTVS, cuius appellationis rationem expositurus RVPERTVS, lib. III. de diuin. Officiis c. 1. *Tempus*, inquit, *quod Dominicae natiuitatis memoriam antecedit, ideo ADVENTVS nuncupatur. quia totus eius Ecclesiasticus ordo iuxta cuntemplationem ADVENTVS DOMINI dispositus est. Aduenire autem recte Dominus dicitur, qui vbique est inuisibili praesentia maiestatis, dum assumpto, quod visibile est nostrum, vsibus carnis visibilem se ostendit. Ipsum vero Christianorum officium, hoc tempore cum maxime obeundum, sequentibus verbis exponit B. AVGVSTINVS Tom. X. Serm. I. Dom. I. Aduent: Appropinquante sacratissima solennitate, qua Saluator noster inter homines misericorditer nasci voluit, fratres charissimi, attentius considerate, qualiter oportet nos in ADVENTV tantae potentiae praeparari, vt Regem & Dominum nostrum laeti atque*

rum sententia cum textu maxime conformis videtur, qui statu-
unt, incarnationis aduentum praesupponi (qui enim urbem in
humana natura debet ingredi, assumerit illam necesse est) &
respectum ad glorificationis aduentum haberi (quia plena posses-
sio bonorum, quae Christus ingressu isto obtulit tanquam iustus
& salvator demum in nouissimo die obtinebit) interim princi-
paliter de aduentu redemptionis sermonem esse, probatur, 1) ex ad-
dito modo aduentus, quod omnino venit vectus super asinam 2)
ex fine addito, venit ut iustus, saluatus venit ut in sanguine Te-
stamenti victor è lacu. 3) est allegatio Euangelistarum, qui to-
tum hoc ad ingressum Hierosolymitanum applicant.

§. 22. *Modus* aduentus exprimitur verbo רכב quod quam-
cunque vectionem notat, seu equo fiat Gen. 49. 17. Eph. 6. 8. seu
Camelo & mulo Gen. 24. 61. 2. Sam. 18. 9. seu curru, (vnde
רכב nomen habet) seu *asina* Num. 22. 30. hic illico additur ter-
minatio gemina. 1) על-חמור super asinum, non cuiusmodi uti
C sole-

que gaudentes cum gloria & laudibus mereamur suscipere. Praeter hunc
vero *primum* Christi aduentum in carnem, qui etiam ob id INCARNA-
TIONIS aduentus dicitur, datur etiam *alter* ille spiritualis eius in cor-
da credentium aduentus, SANCTIFICATIONIS ob effectum scilicet
sic cognominatus, de quo ipsemet apud IOANNEM: Io. XIV. 23.
*Quisquis me amat, inquit, sermonem meum seruabit, & Pater meus ipsum
amabit, nosque ad illum VENIEMUS, & habitationem faciemus apud
eum.* Quin & *tertius* adhuc superest omnibus expectandus Aduentus
Christi vltimus ad iudicium, siue GLORIFICATIONIS, de quo iam
sub initium orbis conditi HENOCHVS est vaticinatus: *Eccc Dominus
VENIT cum multis millibus Sanctorum ad Iudicium habendum.* Ep. Iud.
14. Cuius prodromum cum recte dixeris, nisi plane cum aliis *quar-
tum* CHRISTI aduentum dicere velis, vitimum hominis ex hac vita
discessum, qui etiam aduentus CHRISTI nomine in literis diuinis
passim insignitur, quod vel ex folis Seruatoris nostri verbis, Petro in-
tempestiuum curiositatis studium exprobrantis: *Si voluero, ut maneat
(IOANNES) donec VENERO, quid ad te?* Ioh. XXI. 22. sufficienter
colligitur; Christiani utique est, ut ad primum & vltimum aduentum
sui Domini frequenter, sic etiam ad huius vltimi anteambulonem, imo
eum eodem indiuiso, tantumque temporis respectu ab illo aliquan-
diu distincto, nexu coniunctum more Christiano decenter se praeparare.

solebant primates & honorati ad itinera facienda. Gen. 22. 3. Iudic. 5. 10. 1. Sam. 25. 20. 20. 2. Sam. 16. 2. sed ὑποζύγιον seu ferendis oneribus asuetum (חומר à Chomer seu modiis & aceruis frumenti gestandis iuxta *Bethai* ap. Buxtorf. in Lex. (2) & super pullum filium asinorum. (c) Hoc quidam exegetice voluerunt intellectum super asinam, quae adhuc pullus erat: qui vide-

(c) Quaeritur hac occasione: Cur Christus asino vehi voluit? Resp. Causam huius rei alii afferunt 1) *ex Regis nostri natura*, qui voluit hoc pacto declarare, quod non indigeret externis auxiliis in praesentissimo periculo, sed quod sua diuina maiestate se tueretur aduersus hostes, Leg. D. Frantz. de Interpretatione S. Script. p. 1019. 2) alii *ex nostra institutione*, quibus voluit humilitatis exemplum praebere, teste Chrysostomo, alleg. Dieteric. Analys. Ev. Dom. P. I. Francof. & Lips. 1688. 4. & P. II. seq. & Arnald. & Sacy Exegetische und Moralische Auslegungen der 4. Evangelisten, cum Praef. Magni Theol. Helmstad. D. Io. Andr. Schmidii, Francof. & Lips. 1718. 4. & p. 454. seq. quod etiam confirmat M. Christ. Klemm, Past. & Adi. Radebnrg. in Conc. Pericop. D. I. Adu. 1679. hab. & Dresd. 4. sub rubro: der wohlgeartete Christ, ad Matth. 21. 1—9. ed. p. 14. sequenti modo: Es könnten zwar viele Ursachen angezeigt werden, warum der Herr Jesus also einziehen wollen, sonder zweiffel, unsere Hoffart zu büßen, den Beruff der Juden und Heyden und ihre Beschaffenheit durch Esel und Füllen anzudeuten, denn die Juden waren, weil sie viel Gesetze hatten, einer lastbahren Eselin gleich, die Heyden waren wie ein wildes ungezähmtes Füllen; beyde beschweret der Herr Jesus mit seinem sanfften Joche, und mit seiner leichten Last, mit der Predigt des Evangelii; Matth. II, 30. Das alles lassen wir in seinen Würden. Allermeist aber müssen wir sprechen: Das hat also gefallen dir, die Wahrheit anzuzeigen mir, wie aller Welt Pracht, Ehr und Gut, für dir nichts gilt, nichts hilfft noch thut. Und also läst sich der, der alle Welt erhält und trägt, so tieff herunter, daß er sich von einem Esel tragen läst. Vid. etiam Back. Explic. Euang. D. I. Adu. p. 10. & 23. 3) alii *ex aduersariorum & hostium natura*, quos, quia hoc pacto se Regem profiteretur Iudaeorum, magis concitare & irritare voluerit. Conf. Aut. imperfecti operis in Matth. Sed verissima causa exprimitur a Mattheo c. 21, 4. 5. & Io. 12, 14—16. vt inde pateret, in ipso impletum esse hoc quoque de Messia 4) *vaticinium*. Et proinde ipsum esse promissum illum Mundi Salvatorem, in quem tum aliae, tum haec quoque prophetia quadraret. Conf. D. Paul. Tarnow. Comment. in Io. c. 12. p. 873. Et omnia, quae de Messia praedicta erant, in ipso & per ipsum

videlicet statuunt Christum altero saltem non utroque animali vectum fuisse. Sed praestat copulatio sensu intelligere, cum diserte pullum ab asina distinguat Matth. 21. 2. 3. 7. vid. Gerhard. Harm. l. c. p. 678. Io. Ernest. Gerh. fil. annot. in Matth. p. 911. seq. & quos ibi allegat. Statuamus E. hic, ut Christus utroque animali successiue usus, dum urbem ingrederetur, ita hic de utroque praedictum esse à Propheta. Vbi praeterea attendenda 1) *literalis* verborum expositio. עור pullum notat, qui iam ferendo oneri sufficit, cuiusmodi asinis inequitare solebant nobiliores, ut 30. filii Iairi Iud. 10. 4. 49. filii & 30. nepotes, Abdon. Iud. 12. 14. Additur periphrasis בן-אשתו filius alicuius ex asinabus subjugalibus, ut exponitur Matth. 21. 8. Hebraeis consueta periphrasi. Conf. Gen. 49. 11. Exod. 29. 1. Leu. 14. 30. 2. Chron. 25. 7. 2) *mystica* rei significatio à patribus prolixè deducta, qui per asinum oneribus adsuetum populum iudaicum, per pullum, cui nemo hominum hactenus infederat, populum gentilem intelligunt. Illi Christus prius infedit. Act. 13. 46. postea ex Gen-

C 2

tilibus

ipsum compleri debuerunt, ideo etiam hanc oraculorum Prophetico-
rum partem, quod asino vectus Hierosolymam ingredi debeat, prae-
termittere noluit, proinde ex eo rectè concluditur, hunc Iesum Naza-
renum esse promissum Mesiam, quippe de quo inter cetera a Prophe-
tis hoc ipsum praedictum, quod urbem Hierosolymam eo modo sit
ingressurus. *Cyroll.* l. 8. in Io. c. 20. Quod asino vectus Hierosolymam
ingreditur; factum est, ut per hoc vnusquisque cognosceret, ipsum esse
Christum, quem sic venturum prophetia olim promissa signarat. Nec
possunt Iudaei hoc negare, ut patet ex testimonio *R. Mosis Hadaricham*,
in Comment. Gen. 49, 11. super verba: *Ligans ad vitem pullum suum,*
sic scribentis: *Cum venerit Messias in Ierusalem ipse erit cingens asinum
suum. & equitabit, & super eo veniet in Ierusalem, ut ducat ipsum in pau-
pertate & humilitate, sicut scriptum est, Zach. 9, 9. pauper & humilis
equitans super asinum &c.* Et tanti momenti & ponderis est hoc $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{\iota}\nu\varsigma$
ἐίου, ut si Iesu nostro illud defuisset, Iudaei merito pro Mesia illum
recipere recusassent: cui enim vel vnica nota Mesiae in Scripturis at-
tributa deest, ille pro Mesia agnosci nec potest, nec debet. Vid. D.
Gerhard. Harm. Euangel. p. 100. & B. A. Pfeifferi, *Bibl. Parv.* p. 1090. sqq.

tilibus sibi Ecclesiam collegit, Rom. 12. 12. c. 17. 20. 26. Asina tamen & pullus denique cum Christo coelestem Hierosolymam fuerunt ingressi. vid. Gerh. Harm. l. c. p. 272. | 282.

§. 23. Executi hucusque sumus explicationis duo praecipua capita, Analyticam ordinationem & Grammaticam explicationem. Tertium supra §. 7. indicatum est, ut concilietur textus, & si quae occurrunt difficultates, dissoluantur. Quae conciliatio tamen non peculiariter tradenda videtur, sed commode Grammaticae expositioni per modum occupationis inferri potest. v. g. circa explicationem §. II. allatum, sub finem respici ista locutione omnes regni Christi ciues; dicat aliquis, eos saltem ad gaudium excitari, ad quos Christus venit asina vectus, sed ad solos Iudaeos in diebus carnis fuit ingressus &c. Imo vero illis etiam gaudendum, ad quos beneficia illo ingressu acquisita pertinent, ad quos hodieque venit per verbum, ut iustus; ita circa descriptionem huius Regis, qua ψη) saluatus dicitur Iudaeorum & Papistarum σεβλότης elidenda, quod iam §. 17. fecimus expositione vltimorum verborum, quae copulatiue intelligenda §. 10. dicebamus. Obstare videtur Euangelistarum Marc. 11. 7. Luc. 19. 30. Iph. 12. 14. testimonium de complemento vaticinii, qui pulli tantum meminerunt, & de asina tacent. Sed resp. hoc non obstare, cum vnus recensio non sit alterius exclusio. Nec quisque affirmans, Christum ipsam urbem ingressum esse pullo vectum, illico negat, eum extra urbem asinae inequitasse. Conf Matth. 8. Marc. 10. 46. collat. Matth. 20. 3.

§. 24. Post absolutam explicationem cogitandum, de certis confectariis inde eruendis. Omnia autem confectaria, quae ex textu & litera fluunt, euoluere iam merito supersedemus. Colligimus autem exinde, Messiam venisse in carnem, nec alium, quam Iesum Nazaraeum esse expectandum, idque probamus argumentis, quorum semina in explicatione sparsa, a) iubet exultare filiam Zion
iam

iam suo aevo propheta, ob appropinquantem Dominum. Nonne vero vanum fuisset gaudium, si aduentus ille post annorum demum myriades contingere debuisset? b) Omnia praedicata indicauimus in eum Dominum competere, cuius ingressum Hierosolymitanum iam recolimus. Obseruandum illud est, a) contra Iudaeos Regem hunc negantes & despicientes, b) contra Socinianos, in ascensione demum Regem hunc factum somniantes, & imperium eius ad solam Ecclesiam restringentes, de quibus *Systemata Theologica* diligenter sunt euoluenda.

§. 25. Sed filium iam abrumpere coactus, nunc ad TE iterum me conuerto, PARENS DEVENERANDE! TVI haec tenus moris fuit, hunc Regem & aduenientem Dominum admirari, amare, obsequio devoto venerari, inque eo solo confidere, ut sit maneatque *Rex Tuus*. Phil. 3, 12. E contrario abfuit in muneribus TVIS somnolentia, nimius in optimates terrestres amor ac fiducia, diffidentia in Supremum Numen, carnis imperium, cui rebus vanis gaudentes, & aduentantem Redemptorem parum curantes, prorsus sunt mancipati. Vnde satis quoque vidisti, TE rebus in aduersis, calamitatibus, & sic porro, praesentia huius aduentantis Regis, eiusque clementia vberime fruitum fuisse. Accipias quaeso, PARENS vel AVRO CONTRA mihi CHARE! *meletema* hocce *sacrum* desiderio propensi TVI paterni affectus elaboratum, litterisque consignatum. Non quidem ad TE venio *Penula* (d), quam Paulus a Timotheo suo cupiebat, 2. Tim. 4, 13. sed exigui instructos *libelli* scilicet *Specimine*, quod censurae TVAE demisse subiicio. Si DEus vitam & vires concessit

(d) Per Penulam *Φελόνην*, al. leg. *Φαινόλην*, intelligi *inuoluerunt libri*, aut etiam *volumen*, ex collatione Graecorum Scriptorum ex mente & conditione Pauli, ex circumstantiis Textus, ex consensu denique Patrum & fere omnium nostratum Theologorum, probat cel. *Mafius* in *Dissert de Pallio Pauli ad h. l.* conscript. quae, deinde recusa est in *Syntagma Diss.* p. 229. seq.

cesserit, pergam philologemata talia, tam ex Sacris Fontibus, tam ex Antiquitatibus Hebraicis, tam ex Historia Ecclesiastica, & Litteraria, & Hymnodica, imprimis vero Lutheranismi & Papismi, tam ex Theologicis Riuulis, quam ex aliis disciplinis desumta, idiomate latino, tam in prosa, quam ligata oratione, & germanico stilo exhibere, atque TIBI transmissa communicare. Sed nescio, quo me feruor rapuit, vt *Dissertationis* finem, quem decies iamiam meditatus sum, addere nequiverim, quam prolixitatem, VIR EXCELLENTISSIME, PARENES AD TVMBAM VENERABILIS! pietati meae & amori filiali in TE, singulari, vt tribuas, etiam atque etiam abs TE cordicitus contendo rogoque. *Coelestis DEVS*, (ita TVI causa imploro sub auspiciis noui anni Regem nostrum aduentantem,) quem omnium Christianarum Ecclesiarum Statorem atque Tutorem summum veneramur supplices ac colimus, & cuius diuino nutu & auspiciis haec regendae Ecclesiasticae & Scholasticae rei sparta TIBI per multos annos creditur, TE enthe a plane virtute in ea rite imposteriorum obeunda tuendaque instruat, ipse monstret vias, quibus omnes difficultates in TVO officio occursumas forte, fortiter superare, TEque a cunctis maleuolorum hominum sacris & profanis spiculis, insidiis, accusationibusque innoxiiis, & falsis, securum reddere possis, & robur ac vires ad officia recte peragenda inconcussas & integras clementissime largiatur. Ipse DEVS, in cuius honorem TVI optimis monitis instruantur, teneri gregis sui insignem habeat curam, & animos nostros ita praeparet, vt monita TVA saluberrima haud inuiti admittamus, & quicquid pietatis & virtutis, quicquid TVA MAXIME REVERENDA EXCELLENTIA, ceteris Amicis, Cognatis, & Agnatis, qui tam Lubecae quam Lipsiae in viuis sunt, proponetur, cupidissime audiamus, audita quaeuis repetamus, repetita ruminemur, & crebra ruminacione recocta in sanguinem & succum conuertamus. VALE, & me ab-

sen

sentem Filium semper in eorum numero fore existima, qui me-
rita TVA, qui institutiones TVAS, per litteras nitide docteque
scriptas, imo, qui doctrinam TVAM debito more venerantur.
Acclamo interea ultimo loco plaudendi precandique causa, ta-
men *inter multas millenasque preces & lacrymas*, cum celeberrimo
Polyhistore Hamburgensi, *Michaele* scilicet *Richeyo*, Historiae &
Graecae Linguae Professore Publico spectatissimo, breue illud,
sed magni ponderis votum, quod ipse A. M DCC XIX, VIII,
Cal. Iunii Hamburgi Albo meo p. 209, inseruit;

FELICITER!

Dabam Lipsiae Vigil. Noui Anni, An. M DCC XXIV.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FELICITER

Datum Litterarum Vrbis. No. 1. Anni. M. DC. XXIV.



4. April 1990

4. Mai 1990

19. Aug. 1993

8. Nov. 1993

16. März 1995

3 A 5087

VR

Blank paper label on the right side of the book cover.